



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

De S. Felicula Virgine In Territorio Autissiodorensi In Gallia. Sylloge.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

A k Ita fere Psalm. 43, v. 1.

1 Ad canonicos Regulares scilicet, quæ quidem quo anno facta sit, in Comment. prævio § 7 explorari; quo vero cum religionis canonicorumque

Regularium incremento, in suis ad Sigewardinam Sancti Vitæ Observationibus pag. 421 et seq. docet Overhamus, sæpissime in Commentario laudatus.

AUCTORE
GOBELINO
PERSONA.

DE S. FELICULA VIRGINE

IN TERRITORIO AUTISSIODORENSI IN GALLIA.

SYLLOGE.

C. B.

VEROSIMILITER
ANTE SÆCUL. X.
Sanctæ cuius
nulla Acta
exstant, cultu
ecclesiastico,

Quod in Sanctis, in Opus nostrum inferendis, subinde accidit, ut de his præter ecclesiasticum, quo gaudent, cultum vix quidquam exploratum habeatur, id maxime hodie in S. Felicula locum tenet. Acta enim hujus sanctæ Virginis, quam cultu ecclesiastico a tempore immemorabili esse gavisam, hodieque gaudere in diocesi Autissiodorensi, ex antiquis hujus hodiernisque Brevariis constat, litteris consignata non exstant, nec quæ qualisve fuerit, aut quo definito sæculo floruerit, ulla docent, quæ noverim, monumenta antiqua. Joannes Le-Beuf, ecclesiæ cathedralis Autissiodorensis canonicus et succentor, editis, quæ ad civitatis Autissiodorensis historiam tum ecclesiasticam, tum civilem spectant, Monumentis, atque, quæ capiti ab Hugonotis seu Calvinistis, deindeque, hisce pulsus, in libertatem asserti Autissiodori historiam complexus est, Lucubratione in publica litteraria notus, qui et ipse de S. Felicula alia, quam quæ ad ejus cultum pertinent, monumenta non invenit, varias de hoc tum in laudata sua de capto ac dein in libertatem asserto Autissiodoro Lucubratione, tum in diversis, quas ad Majores nostros dedit, litteris Notitias suppeditat. Hasce ego omnes, quod pleraque, quæ de Sancta nostra probatoris fidei videntur, comprehendant, eo ordine, quo datæ sunt, e lingua Gallica in Latinam conversas huc transcribo, additis etiam nonnullis, prout conducere arbitrabor, ad calcem Observationibus, quibus et Notitias illas illustrem et quæ ex iisdem consecraria sint atque ad Sanctam utcumque spectent, studiosum lectorem edoceam.

de quo sacrissimæ
que ejus reliquis
missæ

2 Anno 1721, cum de novo condendo Calendario, cultuque S. Feliculae, aliquamdiu tum intermisso, in ecclesia Autissiodorensi restituendo Autissiodori ageretur, in epistola, ad Majores nostros 25 Aprilis data, laudatus Autissiodorensis canonicus ac succentor sic scribit: Datur S. Felicula, 1 Augusti (olim nimirum Autissiodori ex dicendis) culta ejus memoriam restituimus, quod Sanctam indigenam putemus, cujus reliquiae partim sunt aut fuerunt Giemi, diocesis Autissiodorensis oppido, partim in diocesi Bituricensi Valeriaci ad Ligerim. Patrona est Giemi, sed a sæculo 13 cum martyre Romana homonyma confunditur. Ita ille, mox etiam subdens, quibus sese dubitare, edoceri velle innuit, an Felicula, quam Autissiodori cultam olim fuisse, dixerat, ea ipsa non sit, quæ ad 1 Augusti diem in editionis Lubeco-Coloniensis et Greveni Usuardo memoratur. Verum hanc dubitationem, documentis, nescio quibus, edoctus, post deposuisse videtur. Ita laudata sua, quam post

anni 1721 vigesimam quintam Aprilis diem elidit, de capto liberaloque Autissiodoro Lucubratione arbitrari me facit. In hac enim, alteram simul jam nunc hic dandam Notitiam subministrans, pag. 259 et seq. in locum, quo a Calvinistis, sacra omnia ac profana Giemi anno 1567 vastantibus, S. Feliculae religiose ibidem assertas reliquias impie fuisse dissipatas, docet, ita observat: Reliquiae illæ (S. Feliculae scilicet) erant (Giemi nimirum) in collegiata S. Stephani ecclesia. Erant illæ ipsæ, quas Gilo, Giemi olim vicinorumque locorum dynasta, abstulerat e S. Brictionis castro, quo detectas atque e monumento lapideo, quod prope Brivodurum ad Orientalem fluvii Ligeris ripam esse norat, extractas sacerdos quidam detulerat. Omnino etiam verosimile apparet, dynastæ hujus liberalitate factum esse, ut Valeriacense in ducatu Bituricensi capitulum notabili ejusdem Sanctæ reliquiarum parte quondam fuerit ditatum. In libro, quem ibidem post Primam legunt, in collegiatam hanc ecclesiam multum beneficis fuisse inventur. Solemnitas, qua Giemi receptæ fuere sanctæ Feliculae reliquiae, 5 Octobris ibidem celebratur; verum a tribus quatuorve sæculis hæc Sancta cum Magna Felicula Romana, cujus reliquiae ex Italia numquam sunt egressæ, confunditur. Felicula Giemensis et Valeriacensis capitulorum, quæ invicem satis sunt vicina, verosimilior illa est, cujus memoria a quingentis annis ut minimum ad 1 Augusti diem cum solo Virginis titulo in diocesi Autissiodorensis Kalendaris est signata. Fodem die in aliquot Usuardi exemplaribus sub Faniculae aut Facinulae, simpliciter Virginis, nomine inventur, loco, quo colatur, non designato.

3 Quibus ultimis ex verbis, utpote nulla dubitandi particula affectis, consequens est, ut, cum hæc scriberet, laudatus Autissiodorensis canonicus non amplius, uti ante fecerat, dubitaret, an S. Felicula sit ea ipsa, quæ ad 1 Augusti diem sub solo Facinulae nomine in editionis Lubeco-Coloniensis et Greveni Usuardo memoratur. Atque hæc de re eum post annum 1721, quo priorem supra huc jam transcriptam Notitiam dedit, non dubitasse, satis etiam apparet ex Notitia altera, quam anno 1726, cum capti liberalique Autissiodori Historiam jam vulgasset, in epistola, ad Solle-rium nostrum data, suggestit his verbis: Quod si novum nostrum (anno scilicet 1725 excusum) Kalendarium accepisti, in eo haud dubie ad quintam Octobris inveneris, S. Feliculae obitum cum 1 Augusti die componi. Re vera ejus memoria ad hunc diem fuit in omnibus nostris Kalendaris a tempore immemorabili signata, id est, retrogradiendo ad sæculum fere duode-
mum.

ad Majores
nostros Noti-
tie

AUCTORE.
C. B.

aliquot hic
dantur,

affected olim
fuit atque ho-
die afficitur
Autissiodori

cinum. Verum a longo jam tempore mihi cogitatio incidit, quam tecum communicare huc usque fui oblitus. Est autem hæc: Cum primi mensium dies plures, quam alii, Sanctos exhibeant, factumne esse queat, ut aliquot ex his, dum verus mensis dies, quo obiissent, ignoraretur, primo ejus die fuerint locati? Hinc evenisse potest, ut S. Facinula seu Fanicula ad 4 Augusti diem in quibusdam Usuardi exemplaribus consignetur; Ms. enim, in Pratensi S. Germani monasterio a me visum, Sanctæ hujus Officium inter id, quod de S. Bartholomæo, aliudque, quod de S. Augustino proponitur, collocatur, meminique, in hoc illam vocari Fascinulam, unius alteriusve litterulæ mutatione non semper exigente, ut Sanctos, in quorum nominibus hæc occurrit, faciamus diversos.

¶ Porro, cum anno 1733 prodisset Operis nostri primus Augusti tomus, nihilque in eo, quod ad S. Feliculam spectare posset, præter hæc in Prætermisissis, ad primum mensis illius diem occurrentibus, de Facinola verba, Facinola, ibidem (in Greveno) etiam signata, æque mihi ignota est hactenus, invenisset Autissiodorensis canonicus et successor Le-Beuf, daretque anno 1734 ad decessores nostros epistolam, schedulam huic adjectis his verbis conceptam: Sollerius ad 4 Augusti diem ne vel verbum dixit de S. Felicula virgine, a tempore immemorabili ad hunc diem in diœcesi Autissiodorensi culta, ut antiqua hujus Breviaria ad ea usque, quæ sæculo præterito fuerunt in usu, fidem faciunt. Cultus ejus interruptus in posteriori Breviario ad 5 Octobris diem est restitutus. Creditur hic esse dies translationis Feliculæ virginis, Sanctæ indigenæ et civitatis Gienensis patronæ, cujus reliquias Calvinistæ sæculo xvi dissipaverunt. Vita ejus ignoratur, nec alia, quam quæ ad ecclesiasticum sanctæ illius Virginis cultum spectant, monumenta invenio. In antiquis Giemensibus libris de hac Sancta invenitur Legenda, in qua ei attribuuntur omnia, quæ ad 13 Junii diem de Magna Felicula Romana (in Opere nostro nimirum) sunt dicta. In Thesaurio capituli Valeriacensis, quod Giemensi sat vicinum et in ducatu Bituricensi situm est, vidi S. Feliculæ, Autissiodori cultæ, maxillam, capsæ pretiosæ, inclusam.

¶ Ita terminatur schedula præfata, estque ultima e Notitiis, a jam sæpius laudato Autissiodorensi canonico de S. Felicula seu potius de ecclesiastico hujus cultu datis. Et sane, ut, quæ in illas observanda sunt, jam expelliam, hunc esse, quo Sancta in diœcesi Autissiodorensi ad 4 Augusti diem olim fuit garisa, valde antiquum, ex antiquis hujus Breviariis recte is scriptor docet. Ita mihi suadet vel solum penes nos exstant Autissiodorensis Breviarium, quod sæculi xvi initio aut citius notatur excusum, quodque ad 4 Augusti diem S. Feliculæ virginis commemorationem præscribit. Verum anne Sancta in tota Autissiodorensi diœcesi ad illum Augusti diem antiquitus ita culta fuit? Cum Giemum seu Giomum, diœcesis Autissiodorensis ad Ligerim oppidum, quod ab aliis, etsi, ut apparet, minus recte, Genabum etiam vocatur, S. Feliculæ reliquias, ut Le-Beuf in posteriori e binis num. 2 datis Notitiis docet, fuerint olim, sæculo nempe xii, uti ex infra huc transcribendis Breviarii Autissiodorensis verbis apparet, 5 Octobris die delatæ, verosimile videtur, hunc Octobris diem, a multis jam sæculis Giemi, ac præcipue in collegiata hujus civitatis S. Stephani

ecclesia, in qua sacra illa pignora fuerant deposita, D ecclesiastico Sancto cultu solemnem quotannis exstitisse, dubitarique idcirco potest, an eam tunc in eadem ecclesia, nisi forte bis in anno cultu fuisse ibidem affectam velis, commemoratione, ad 1 Augusti diem in Officio seu Horis Canonicis faciendâ, honorari contigerit. Quoquo modo res hæc habeat, Sanctam equidem tam Giemi, quam Autissiodori cultu ecclesiastico ad 5 Octobris diem modo gaudere, e Notitiis huc jam transcriptis atque e recentioribus diœcesis Autissiodorensis tam Breviariis, quam Calendariis manifestum est.

¶ At vero, sciscitabitur modo non nemo, an et alibi etiam, quam in diœcesi Autissiodorensi, cultu ecclesiastico Sancta modo non gaudet? In diœcesi Bituricensi ac proin extra Autissiodorensis locum est ad Ligerim situs, qui Gallicæ Leræ seu Leraï dicitur, Latineque a Catherinoto, quem supra etiam in Gallico hoc nomine Latinitate donando sum secutus, in ecclesiasticorum diœcesis Bituricensis beneficiorum Catalogo pag. 5 Valeriacum redditur; cum autem in collegiata ecclesia, quam locus ille complectitur, quamque anno circiter 1100 fuisse fundatam, laudatus Catherinoto loco cit. ait, Sanctæ nostræ maxilla, pretiosæ thecæ inclusa, uti ex Notitiis, ultimo loco e Joanne Le-Beuf jam data, constat, religiose hodieque asservetur, ambigendum saltem apparet, an ibidem quoque cultu ecclesiastico Sancta non afficitur; imo vero hoc honore Feliculam, cujus præterea aliquot reliquiarum fragmenta in Prioratu Charitatis ad Ligerim exstitisse, in capto suo liberatæque Autissiodoro ad calcem posterioris Notitiæ, num. 2 ex hoc Opusculo datæ, etiam docet Le-Beuf, jam inde a sæculo xii in ecclesia illa fuisse affectam, vero videtur non absimile. Hæc enim jam tum Sanctæ reliquias possederit, si posteriori e binis Notitiis, num. 2 e Le-Beuf hic transcriptis, sua modo, ut constare apparet, reapse etiam constet fides. Ita autumo, quod secundum eam quidem, qui S. Feliculæ reliquias, e S. Brictionis castro ablatas, collegiatæ S. Stephani Giemensi ecclesie donavit Giemensis dynasta Gilo, collegiatæ Valeriacensi ecclesie sacras Sanctæ reliquias pariter donavit; ex autem, quibus Giemensi collegiata ecclesia fuit ditata, fuerint jam inde a sæculo xii ad eam delatæ, ut novissimum diœcesis Autissiodorensis Breviarium, quo hic standum videtur in hodierni Officii Lectione quarta prodit hisce ad Sanctam nostram in ea spectantibus verbis: Sanctæ Feliculæ virginis, olim juxta Ligerim in territorio Autissiodorensi sepultæ, sacras exuvias hoc etiam die (quinta Octobris) ante annos sexcentos ad Genabum seu Giomum castrum translatas fuisse, testantur omnia sancti Stephani Genabensis monumenta.

¶ Ita recentius Autissiodorensis Breviarium, anno 1725 primo excusum, a quo anni sexcenti, ante quos Sanctæ reliquias Giomum fuisse translatas, verbis recitatis id docet, retrogradiendo deducunt ad annum 1125, quo proinde sacra illa pignora Giomum fuisse secundum præfatum Autissiodorensis Breviarium translata. Ex hac porro facti hujus epocha consecrarium est, ut S. Felicula certe non serius, quam sæculi xii initio vitam hanc mortalem cum immortalis commutarit. Verum anne annus aut saltem sæculum, quo id evenit, certo defini non potest? Feliculam ante sæculum x obiisse, Calendarium, Breviario hodierno Autissiodorensi præfixum, notat: et sane, cum sacra Sanctæ ipsana fuerint ex jam dictis sæculo xii, non multum propecto, translata, factum-

et verosimiliter etiam Valeriaci.

E

F

Tempus, quo obiit.

A ctumque facile esse queat, ut, antequam id ferret, ducentis circiter annis Sancta jam jacuisset sepulta, excessivis eam ante sæculum x e vicis, vero non apparet absimile; quanto vero tempore citius id evenerit, nemo, quantum opinor, deficientibus ad id monumentis antiquis, sat tuto definiat, hincque ego, Kalendarium Autissiodorense mox cit. unice secutus, supra in margine hæc verba, verosimiliter ante sæculum x, satis habui adscribere. Ad diem, quo Sancta obiisse traditur, sermonem modo convertamus. In Kalendario Autissiodorensi jam laudato hodie seu ad 5 Octobris diem expresse signatur, Obiit (S. Felicula videlicet) 1 Augusti.

Cur de ea ad 1 Augusti in Opere nostro nihil dictum.

8 Et vero, cum Sancta, uti in una utque altera e Notitiis, supra huc transcriptis, docet Le-Beuf, ad 1 Augusti diem in omnibus antiquis diæcesis Autissiodorensis Kalendaris consignetur, hoc illa die reipsa forte ad Superos migravit; verum, etsi res ita habeat, id tamen tunc accidisse, vel ideirco, quod non raro aliis, quam quibus vita functi sunt diebus, Sancti inveniuntur, Kalendaris Fastisque sacris inscripti, certum esse, neutiquam potest, nec pro certo etiam habuit sæpissime jam laudatus Le-Beuf, Autissiodorensis canonicus ac succentor, uti in Notitia, num. 3 huc transcripta, non obscure prodit. At vero, inquires, cum Sancta equidem antiquis diæcesis Autissiodorensis Kalendaris ad 1 Augusti sit inserta, cur de illa ad hunc diem in Opere nostro ne vel verbum fuit prolatum? Cum Felicula, uti ex jam dictis liquet, cultu ecclesiastico, ut olim, ad 1 Augusti modo non gaudeat, sane inter Sanctos de illa ad hunc diem agendum non fuit. Nec video etiam, cur inter Prætermisissos fuerit commemoranda, cum nulla prorsus vel Kalendaria vel Fasti sacri, quibus Sanctæ nomen ad 1 Augusti sit inscriptum, penes nos existant, morisque nostri non sit, inter Prætermisissos recensere Sanctos, quorum nomina in Monumentis, seu Hagiologis Kalendaris, que consilere ipsimet possumus, consignata non sunt; etsi autem ad dictum Augusti diem inter Prætermisissos fuerit relata Facinola virgo, sicque saltem hujus occasione, utpote quam Le-Beuf cum Felicula, Autissiodori culta, in posteriori e binis Notitiis num. 2 datis faciat eandem, mentio Sanctæ nostræ Au-

tissiodorensis Virginis fieri potuisset, fieri tamen id debuisse ideirco non videtur, quod, contra ac Le-Beuf sensit, admodum dubium appareat, an distincta hæc non sit a Facinola, utpote nulum prorsus, e quo cum Felicula esse indubie eadem credatur, characterem habente sibi adjunctum.

9 Utut sit, quo sermonem de Sancta nostra, de qua, quod hodie ex dictis colatur, agendum a Sanctis hic fuit, modo absolvam, eam Le-Beuf, si forte non recte cum Facinola eandem, recte equidem a Felicula Romana, ad 13 Junii apud nos jam data, diversam in Notitiis, supra huc transcriptis, facit. Etenim Sancta nostra in omnibus omnino, teste Le-Beuf supra in Notitiis, diæcesis Autissiodorensis Kalendaris solo Virginis titulo insignitur; unde fit, ut martyrio fuisse affecta non videatur; Felicula autem Romana, ad 13 Junii diem Fastis sacris inscripta, martyr in hisce omnibus diserte vocatur, reque etiam ipsa subivit martyrium. Adhæc (adi Operis nostri tom. 2 Junii, part. 2, pag. 666 et seq.) Felicula Romanæ reliquæ, si forte, quod tamen non puto, ex Italia unquam, contra ac supra in Notitiis sentit Le-Beuf, fuerint egressa, in Galliam tamen illatæ fuisse non videntur, ut vel hinc a sancta illa virgine et martyre S. Felicula, cujus reliquæ præcipuè olim Giemi exstiterunt ac hodieque marilla Valeriaci ex dictis religiose asservatur, diversa debeat videri. Accedit etiam, S. Feliculam martyrem Romæ, uti in Opere nostro loco citato inventes, sepulturæ traditam fuisse; Feliculam autem Autissiodorensis prope Brivodurum, diæcesis Autissiodorensis ad Ligerim oppidum, tumulum nactam esse, uti in posteriori e binis Notitiis num. 2 datis docet Le-Beuf; etsi autem hæc, uti et reliquæ, quas supra ex hoc scriptore retulimus, fidem integram in iis, quæ ad alia, quam ad Sanctæ nostræ cultum pertinent, non mereatur, qualem tamen pondus argumentis, pro distinctione inter Feliculam nostram et Feliculam Romanam faciendâ jam productis, adjungit militatque etiam utcumque pro Virgine nostra Autissiodorensis distinguendâ a quibuscumque aliis homonymis, licet interim, an cum aliqua ex his Sancta nostra sit eadem, revocari non inveniam in dubium.

AUCTORE
C. B.

Distinctio
a Sanctis
homonymis.

E.

F.

